DE
Febre Britannica
ANNI 1712.
SCHEDIASMA.

1167. e 18
7

Aut. JOAN. TURNER è Coll. Med. Lond.

LONDINI:
Proftant apud JACOBUM WOODWARD, in *Scalding-Alley* prope *Stocks-Market*, MDCCXIII.

DE

Febre Britannica

ANNI 1742.

SONEDIASMA.

DE Febre Britannica ANNI 1712.

INTER motus bellicos ambitione Principum excitatos, qui haud ita pridem Septentrionales Europæ plagas infinitis divexarunt ſtragibus, &, proh dolor! etiamnum vexant; exarſit aliud non minus

cœleſtis iræ indicium, Peſtis atrox & immanis, quæ miſeras mortalium Reliquias denſatis funeribus extulit, latius indies graſſatura, niſi Regis Boruſſiæ, Ducis Brunſvicenſis, Ordinum Belgii Uniti cura, & Sereniſſimæ ANNÆ Britanniarum Imperatricis Prudentia, ſtupendè conſummata, & in Populi ſalutem dies noctesque ſemper attenta, commerciorum libertate frænata, Contagio gliſcenti obſtitiſſent.

Sub id temporis emerſit in multis Europæ Provinciis, Italia præſertim, ubi & hodie ingraveſcit, inferioris & plebei ordinis peſtis, in quadrupedum genus ſævire contenta, adeo tamen pervicacis nequitiæ, ut nec novis cœlum Sanctis, Hoſpitibus ſanè Cucullatis, demerendo, nec Eccleſiæ Catholicæ precibus, & merito-

ritorum ſuperpondio, nec Sanctorum reliquiis, (ſacro theſauro!) publicatis, nec religioſis ſacrificulorum pompis, ab inſtituta pernicie dimoveri potuerit.

VERE proximè elapſo, per Gallias paſſim ingraveſcere cœperunt Febres mali moris in nobiles domos, & regiam præcipuè infeſtæ; quò LUDOVICUM Magnum ipſa infortunia oſtenderent Majorem, & patientia Chriſtianiſſima Maximum.

APUD Britannos interim caput extulit Febris quædam epidemia, genii mitioris, nec, quod fando audiverim, alicui fatalis; ſed quæ ita longè latéque imperium continuavit, ut pauculas admodum familias reliquerit liberas, intactaſve, jam licet virus ſuum depoſuiſſe videatur.

QUOS invaſit hic morbus, illi comites ſe adjunxerunt Cephalalgia ſatis vehemens, aut ſaltem capitis Gravedo, dorſi dolor æſtuans, interdum frigore lancinans, aliquando in artubus dolores rheumaticorum æmuli, nec mirum ſi acceſſerint inappetentia, vomituritio, ſtomachi & inteſtinorum dolor; Alia autem quæcunque apparuerunt ſymptomata vel ægroti Idioſyncraſiæ, vel manifeſtæ aeris intemperei, vel intercurrentium morborum computo videntur adſcribenda.

QUI initio morbi leviori indulgebant Diaphoreſi, cui procurandæ vulgò ut plurimum omne punctum tulerunt THERIAC. ANDROM. & AQUA THERIAC. Febre quamprimum defuncti ſunt; in caſu graviori in uſum venerunt Emetica, & Epiſpaſtica, unde biduo triduove omnes liberati.

QUI

QUI à pharmacis abhorrebant, leni Apotherapeia, victu parciore & tenuiore, frigus cavendo, domi quiescendo, molestum hospitem brevi ejecerunt; Qui vero importuna Sciolorum ledulitate, aut absurda remediorum farragine oppressi, diutius Patiebantur.

IN hujusce morbi causam inquirenti fas sit malignos Terræ Matris halitus, & venenum quoddam obtusis licet spiculis armatum assignare; quod non lentis passibus ad progressum morborum communium, sed brevi temporis momento vitalem corporis humani Elaterem labefactavit.

CUM autem conspirantibus pene tam philosophorum quam medicorum hujus ævi sententiis receptum sit, totam

machinæ animalis fabricam Vaſorum eſſe contextum, cujus artificium in ſolo vaſorum ad ſe invicem, & fluentium in iis humorum reſpectu & conſenſione conſiſtit; cumque Venenorum effectus ad hoc videantur reduci poſſe, ut in ſolidis operentur laxando vel incriſpando, in fluidis vel diſſolvendo vel coagulando, aut ſaltem lentorem inducendo; elucet hinc prudentis medici officium, ex artis penu cuivis intentioni accomoda deſumere remedia, quæ particulatim recenſere vel reſpectu ad malignas vel Febres alias quaſcunque non patitur inſtituti noſtri ratio, & ferre recuſant noſtri vires ingenii, quod quam ſit exiguum facile ſentio.

INTERIM nequis me de futuro malignitatis ſtatu Hariolum expectet; hoc relinquo MENECRATI JOVI UNICO MEDI-

MEDICINÆ BRITANNICÆ ORACULO, & Superſtitionum Mangonibus, qui vanis pavidam plebem territant minaciis; cum mihi imbecillitatis humanæ & rerum obſcuritatis non ignaro, ſaltem hoc conſtare videatur, quod denſis obvolutum tenebris omne Poſterum

Θεῶν ὃν γένεσι κάτοχ.

FINIS.

MVSEVM
BRITAN
NICVM